

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Patria c
cum fontibus primis

Non solum

dominus est capud prophetarum qui
a Moyse propheta nominatur,
sed Helyas et ceteri
prophete minus in patria quam
in ceteris ciuitatibus sunt honorati quia

prope modum naturale est
ciues ciuibus inuidere. Non enim
considerant presentis uiri opera;
non uirtutem
sed fragilitatem recordantur infancie
quasi non et ipsi per eosdem etatis
gradus ad maturam etatem peruenerint.

Beda super illud Luce III.: Nemo
propheta in patria sua.

Non solum

autem ipse

qui caput et dominus est prophetarum

sed et Helias Hieremias ceterique
prophetae minores in patria quam
in exteris ciuitatibus habiti sunt quia
prope modum naturale est ciues semper
ciuibus inuidere. Non enim considerant
praesentia uiri opera sed fragilem
recordantur infantiam quasi non et ipsi
per eosdem aetatis gradus ad maturam
aetatem uenerint.

Beda Venerabilis, *In Lucae euangelium*
expositio, 2, 4, 24 (CCSL 120, D. Hurst
ed., p.106, ll.250-257).

Propemodum naturale est

ciues semper ciuibus inuidere; non enim
considerant praesentia uiri opera

sed fragilis recordantur infantiae,
quasi non et ipsi per eosdem aetatis
gradus ad maturam aetatem uenerint.

Hieronymus Stridonensis, *Commentarii*
in euangelium Matthei, 2 (CCSL 77, D.
Hurst & M. Adriaen eds., p.116, ll.1087-
1091).